

neque sibi neque Reipublicæ conducere arbitrari; verendum enim esse, ne, inde in Hispanorum animis suspicione oborta, difficilior ad tranquillitatem pacemque retinendam via inveniatur.

*Veneti  
militum do-  
lectum de-  
cernunt.*

Illico vero, ut bina peditum exterorum millia conscriberentur, atque in limitaneas urbes oppidaque mitterentur, decernitur. Cum Pontifice per Joannem Mocenicum actum: summa, qua pollet auctoritate, hos armorum motus comprimi studeat, ne in Italia ingens incendium totius christianæ reipublicæ catholicæque religionis damno exoriatur; in qua sane una cum pace tuenda semper omnibus officiis ac viribus cum Pontifice Senatum consensurum. Hæc grata sibi admodum exstitisse, amplissimis verbis Paulus significavit, utpote quæ a Senatu summa prudentia prædicto proficerentur, cuius consilia magni facere, ab iisque minime recessurum affirmabat, cuncta brevi, tranquilla ac pacata fore optima spe nixus. Statimque Costa, in Allobrogibus legato, mandavit, cum Carolo ac Fuentano agens, utrumque, ut copiæ dimittentur, cunctos ingenii nervos intenderet. At in tanta animorum acerbitate ac diffidentia, in tanta consiliorum perplexitate, haud facile erat quidquam in commune bonum obtinere; cum Carolus primum ab Hispanis, qui potentiores essent, dimitti milites æquum esse affirmaret: si prior ipse missionem faceret, inermem Hispanorum injuriis, quorum in se voluntatem expertus fuisset, expositum iri. Contra vero Hispani, ab eo qui inferior sit, qui aggredi Insubres voluerat, initium armorum deponendi faciendum esse, ajebant. Costa, ut Fuentanum fletteret, suum a secretis Mediolanum mittit, qui ipsum animam fere agentem offendit, idcirco copiam alloquendi non habuit. At paulo post, cum aliquantis per levari videretur, introductus, responsum a Fuentano accepit, gratificari se quidem Pontifici cupere; verum ex Hispania Regis sententiam expectandam, neque antea quidquam certi statui posse. Itaque infecto negotio Augustam Taurinorum regreditur. Ea re cognita, Pontifex Internuncio mandat: statim Mediolanum se conferat, omniaque cum Fuentano experiatur, ut armorum motus comprimantur. Sed dum ad iter se comparat, invalescente morbo, reluctante licet seni-

*Pauli  
Pontificis  
mandata  
ad Costam  
legatum,  
ut Allobrogi  
& Fuentano  
militum  
missionem  
suadeat.*